Nobilissimo, clarissimoq. viro D. Constantino Hugenio Zulechemi Domino
C. Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Non tanta est atri sanguinis in me vis Nob^me^ Hugeni, quin tecum per literas loqui audeam & possim. Dico audeam, quia morbi mei pathognomonicon signum est metus. addo: possim, quia eiusdem mali comes solet esse μικροψυχία & ἀδυναμίας stolida persuasio. Nos et morbo et symptomatibus eius obnitimur, et bilem castigamus non uno pharmaci genere. Est quod a medicina petitur. est quod amici suppeditant, & inter hos amicorum ocellus Wickefortius, qui pro Machaone mihi est et Hippocrate, nec officiorum ullum intermittit, quo laborantem erigat fulciatq. Est quod recta ratio & divinae clementiae sensus suggerit efficacissimum. Tuis me literis doctissimis gravibusq. hoc rerum mearum statu scriptis non parum refocillasti, ex quibus observo, nihil te de veteri in me amore remisisse. licet has voces hic illic inspergas, quas modestiae meae & pudoris est aversari. Tuo beneficio et facundia iterum mihi patuit Celsitudinis Auriacae prona liberalitas. Negant philosophi in scientijs dari progressum in infinitum, aut circulum. At fateor lubens, utrumq. dari in meritorum tuorum erga me serie. Benefacis immerenti sine fine, et ~~[illegible]~~ per hanc orbitam pergit decurrere indefessa tua humanitas. Petis, ut de valetudine ~~mea~~ te certiorem reddam. Valeo et non valeo. aut, si verum me sinis dicere, opto valere melius. Et forte maior est imaginationis morbus, quam corporis, licet mutuas sibi operas praestent. Verum diuturna est haec nauseana laborantis naturae conspiratio, et imaginationis error prudentia, corporis vitium

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 125
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1783

medica ope corrigendum. quod ab aeris inclementia impetrare non possum, impetrabo precibus a coelo. quod solatium negat anni tempus valetudinarijs grave sufficiet vitae nostrae arbiter et moderator Deus. Expedit intercursare laetis tristia, adversa prosperis, ut divino favori nos debere fateamur, quicquid possidemus et voto. Versibus tuis lepidissimis et argutissimis, doleo me non posse respondere meos. Nolo me debito liberes. moram solummodo solutionis dona debitori ingenuo, qui liberaliter satis antehac tibi impertijt ea, quae ab ingenij sui tenuitate impetrare potuit. Jam de aliquo, nihilo, nescio nugari non est animus. Tam serius sum et severus rerum omnis aestimator, ut urbanitatem pene e virtutum numero expunxerim. Nec tamen omnino expunxi. explicabo illam erga te aliosque amicos, discussis animi nebulis, ita tamen, ne ab honestate divortium faciat. Vale Hugeni praestantissime et me ama, qui te tenerrime. Videat hic, quem ingredimur, annus te felicem undequaque, qua publice qua privatim, animi corporisque bonis, domi forisque, tuo, familiae, et amicorum commodo. Raptim Amstelod. 5 Jan. 1638.

Nobilissimum Mylium ubi occasio feret reverenter meis verbis saluta. Ignosce literis scriptis dum frigida et prae frigore tremula manu.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 125
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1783

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 125
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1783

Aen mijn heer
mijn heer Constantinus
Huygens, heer van
Zuylichem, Raedt en Secretaris
van syn Hoocheyt,

Haeste

port